



## CANON MISSÆ

### PRO DEFUNCTIS.

Sacerdos extendens, elevans et jungens manus, elevans ad cœlum oculos, et statim demittens, profunde inclinatus ante Altare, manibus super eo positis, dicit :

**N**E igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogâmus ac pétimus, **Osculatur altare**, uti accépta hábeas, et benedícas, **Jungat manus, deinde signet ter super oblata**, hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ✠ sancta sacrificia illibáta, **Extensis manibus prosequitur**: in primis, quæ tibi offérimus pro Ecclesia tua sancta cathólica : quam pacificáre, custodíre, adunáre, et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulis tuis Papa nostro **N.** et Antístite nostro **N.** et ómnibus orthodoxis, atque cathólicæ et apostólicæ fidei cultóribus.

#### COMMEMORATIO

PRO VIVIS.

**M**EMENTO, Dómine, famulorum, famularumque tuarum **N.** et **N.**

Jungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit; deinde manibus extensis prosequitur :

Et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnota est, et nota devótio : pro quibus tibi offérimus, vel qui tibi offérunť hoc sacrificium laudis; pro se, suisque ómnibus, pro redemptione animárum suárum, pro spe salutis et incolumitátis suæ : tibi que reddunt vota sua ætérno Deo, vivo et vero.

*Infra actionem.*

**C**OMMUNICANTES, et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semper Virgínis Mariæ, Genitrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi : sed et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thad-dæi : Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni,

Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni, et ómnium Sanctórum tuórum : quorum méritis precibúsq; concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxilio. **Jungit manus.** Per eúdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit :

**H**ANC igitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. **Jungit manus.** Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**Q**UAM oblatiónem tu Deus, in ómnibus, quæsumus, **Signat ter super oblata,** bene ✠ dictam, adscrí ✠ ptam, ra ✠ tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris : **Signat semel super Hostiam, et semel super Calicem :** ut nobis Cor ✠ pus, et San ✠ guis fiat dilectíssimi Filii tui Dómini nostri Jesu Christi.

**Q**ui pridiequam paterétur, **Accipit Hostiam,** accépit panem in sanctas ac venerá-

biles manus suas : **Elevat oculos ad cælum,** et elevátis óculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, **Signat super Hostiam,** bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis secrete, distincte et attente :

**Hoc est enim  
Corpus meum.**

Prolatis verbis consecrationis, statim Hostiam consecratam genuflexus adorat : surgit, ostendit populo, reponit super Corporale, iterum adorat : et non disjungit pollices et indices, nisi quando Hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum. Tunc detecto Calice, dicit :

**S**IMILI modo, postquam cœnátum est, **Ambabus manibus accipit Calicem,** accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas, item tibi grátias agens : **Sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum,** bene ✠ dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

Profert verba consecrationis secrete super Calicem, tenens illum parum elevatum.

**Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et ætérni testaménti : mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundétur in remissionem peccatórum.**

Prolatis verbis consecrationis, deponit Calicem super Corporale, et dicens secrete :

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit, et iterum adorat. Deinde disjunctis manibus, dicit :

**U**NDE et mémoires, Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejúsdem Christi Filii tui Dómini nostri tam beátæ passiónis, necnon et ab ínferis resurrectiónis, sed et in cœlos gloriósæ ascensionis, offerimus præcláre majestáti tuæ de tuis donis ac datis, **Jungit manus, et signat ter super Hostiam, et Calicem simul, Hóstiam ✠**

puram, hóstiam ✠ sanctam, hóstiam ✠ immaculátam, **Signat semel super Hostiam, et semel super Calicem :** Panem ✠ sanctum vitæ ætérnæ, et Cálicem ✠ salutis perpétuæ.

Extensis manibus prosequitur :

**S**UPRA quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris : et accépta habére, sicuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui justi Abel, et sacrificium Patriárchæ nostri Abrahæ, et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculátam hóstiam.

Profunde inclinatus, junctis manibus, et super Altare positus, dicit :

**S**UPPLICES te rogámus, omnípotens Deus : jube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme Altáre tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ : ut quotquot **Osculatur Altare,** ex hac Altáris participatióne, sacrosánctum Filii tui, **Jungit manus, et signat semel super Hostiam, et semel super Calicem,** Cor ✠ pus, et Sán ✠ guinem sumpsérimus, **Seipsum signat,** omni benedictiόne cœlesti, et grá-

tia repleámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

### COMMEMORATIO

#### PRO DEFUNCTIS.

**M**EMENTO étiam, Dómine, famulórum, famulárumque tuárum **N.** et **N.** qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

*Jungit manus, orat aliquantulum pro iis Defunctis, pro quibus orare intendit; deinde extensis manibus prosequitur:*

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecámur. **Jungit manus, et caput inclinat.** Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

*Manu dextera percutit sibi pectus, elata parum voce, dicens:*

**N**OBIS quoque peccatóribus fámulis tuis, de multitudíne miseratiónum tuárum sperántibus, partem aliquam et societátem donáre dignéris cum tuis sanctis Apóstolis et Martyribus: cum Joánne, Stéphano, Mathía, Bárnaba, Ignátio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília,

Anastásia, et ómnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consórtium, non æstimátor mériti, sed vénia, quæsumus, largítor admítte. **Jungit manus.** Per Christum Dóminum nostrum.

**P**ER quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, **Signat ter super Hostiam et Calicem simul, dicens,** sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dícis, et præstas nobis.

*Discooperit Calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dextera, tenens sinistra Calicem: signat cum Hostia ter a labio ad labium Calicis, dicens:*

Per ip ✠ sum, et cum ip ✠ so, et in ip ✠ so, **Bis signat inter Calicem et pectus, est tibi Deo Patri ✠ omnipoténti, in unitáte Spíritus ✠ sancti, Elevans parum Calicem, cum Hostia dicit: omnis honor et glória.**

*Reponit Hostiam, cooperit Calicem, genuflectit, surgit et dicit:*

**P**ER o-mni-a sæ-cu-la  
 sæ-cu-lo-rum. **¶** A-men.  
 O-re-mus. Præceptis sa-lu-ta-

ri-bus mo-ni-ti, et di-vi-na  
 in-sti-tu-ti-o-ne for-ma-ti, au-  
 de-mus di-ce-re. **Extendit manus.**

**P**A-TER noster, qui es in  
 cœ-lis: San-cti-fi-ce-tur no-men  
 tu-um: Ad-ve-ni-at re-gnum  
 tu-um: Fi-at vo-lun-tas tu-a,  
 sic-ut in cœ-lo, et in ter-ra.  
 Pa-nem nostrum quo-ti-di-a-num

da nobis ho-di-e: Et dimitte no-  
 bis de-bi-ta nostra, sic-ut et nos  
 dimit-timus debi-to-ribus nostris.

Et ne nos inducas in tenta-ti-o-  
 nem. **¶** Sed li-be-ra nos a ma-lo.  
**Sacerdos submissa voce dicit:**  
 Amen.  
**Deinde accipit Patenam inter indi-  
 cem et medium digitos, et dicit:**

**L**IBERA NOS, quæsumus Dómine, ab ómnibus malis, præteritis, præsentibus, et futúris: et intercedénte beáta et gloriósa semper Virgine Dei Genitrice María, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque Andréa, et ómnibus Sanctis, **Signat se cum Patena a fronte ad pectus et eam osculatur:** da propítius pacem in diébus nostris: ut ope misericórdia, tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatióne secúri.

*Submittit Patenam Hostia, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem, per medium dicens:*

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

*Partem, quæ in dextera est, ponit super Patenam. Deinde ex parte, quæ*